

respectus, alterum negativum, scilicet quod nihil præferatur, vel æquetur Deo, diligendo aliquid tamquam finem ultimum; alterum positivum, scilicet: *Quod omnia subiciantur, et subordinentur ei* sicut ultimo fini, non solum hæc vel illa actio, ista vel illa res, sed omnia absolute; qui enim vult Deum ut finem ultimum unius actionis, et non alterius, non vult Deum ut finem ultimum simpliciter, sed secundum quid. Et in hoc consistit illud verbum super omnia, non enim super omnia est idem quod super omnem modum, quasi Deum diligamus intensius, quam alias res, sed super omnia dicit comparationem ad alia objecta, non ad alios modos diligendi, ita quod appetitive, et æstimate diligamus Deum præ aliis objectis. Quod explicatur illo duplici respectu, et negativo: Non præferendi aliquid Deo, et positivo: Subordinandi illi omnia. Ille autem terminus efficax sic explicandus est, quod præter voluntatem conditionatam, qua aliquid non absolute est volitum, et consequenter neque efficaciter, detur volitio absoluta dicens ordinem ad executionem, et effectum, et sic est efficax, quæ dupliciter inveniri potest, scilicet efficax in affectu, et in effectu. Efficax in affectu consistit in ipso actu voluntatis ordinante, et inclinante ad executionem, vel per modum intentionis, aut electionis, vel per modum imperii: efficax in effectu est ipsa executio, et impletio talis voluntatis, quæ non unico actu, sed pluribus potest perfici.

XVII. Igitur aliqui theologi dixerunt solum indigere speciali auxilio illam dilectionem Dei, quæ est efficax in effectu, non autem quæ solum est efficax in affectu (nam de conditionata, et imperfecta certum est non indigere gratia speciali) quod docet Molina in concordia,

quæst. XIV, art. XIII, membro III. At vero Cajetanus hic art. III dicit dilectionem Dei super omnia impossibilem esse naturæ, quando ita est super omnia quod nihil permittit, quod non sit referibile in Deum, et cum peccata venialia non possint referri in Deum, illam dilectionem dicit esse impossibilem naturæ, quæ abstinet ab omni peccato veniali. Cæterum cum exclusio omnium peccatorum venialium in natura lapsa exigat specialissimum privilegium, soli virgini concessum, non videtur D. Thomas in articulo loqui de ista dilectione Dei ita specialissima, et rara, cum tradat generalem doctrinam de viribus naturæ lapsæ ad diligendum Deum absolute, et non solum cum perfectione ita specialissima, quæ excludat omne peccatum veniale.

XVIII. Quare dicimus, quod amor Dei efficax super omnia in effectu, et in affectu requirit specialem gratiam, et quod in effectum illam requirat patet, quia tunc est efficax in effectum quando in nullo opere quod exequitur præfert bonum privatum Deo, sed omnia mandata implet, et nulli tentationi cedit: hoc autem est super cursum ordinarium voluntatis lapsæ, quæ secundum suam naturam est valde mutabilis, et non potest resistere gravibus tentationibus, et propensioni appetitus sensibilis, unde habere tantam firmitatem quod vincat omnem mutabilitatem suam, et omnes tentationes, et rebelliones passionum, est opus hominis maxime sani, et sic indiget gratia superante ordinarium cursum, atque adeo gratia speciali. Ex hoc autem inferitur, quod etiam efficacia in affectu, et intentione ad omnia ista superanda propter dilectionem Dei est etiam amor excedens ordinarium cursum naturæ infirmæ, quia ex parte voluntatis,

et intentionis firmat animum ad implenda omnia mandata, et ad non peccandum ex quacumque tentatione, sed ad referendum omnia in Deum, alioquin si non est sufficiens illa intentio voluntatis ad referendum omnia in Deum, et ad implendum omnia mandata, non est efficax ex parte inclinationis, et intentionis volendi finem, quia non vult virtualiter, et sufficienter ex parte intentionis omnia media ordinata ad talem finem, et sic non vult exequi in effectum quod vult in intentione, et in affectu. Ergo efficacia intentionis debet firmare voluntatem in vi intentionis contra omnem mutabilitatem, et contra omnia objecta omnium tentationum etiam graviorum; ergo superat ordinarium modum naturæ infirmæ, et lapsæ: imo est supremus actus inter morales hominis sani, et roborati, cum sit amor efficaciter intendens implere omnia. Et de hoc amore naturali loquitur D. Thomas hic articulo tertio, cum dicit non posse in natura lapsa hominem diligere Deum super omnia, etiam naturali dilectione sine gratia, quod poterat in natura integra, et sumitur ex S. Augustino libro de gratia, et libero arbitrio, capite XVIII, ubi postquam explicavit illud mandatum legis: *Diliges Dominum Deum, etc.* quod est præceptum legis naturalis, cum contineatur in decalogo, dicit de illa dilectione, seu charitate sic: « Unde est in hominibus Dei charitas, et proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: si autem ex Deo, vicimus Pelagianos. » Quia saltem ex parte voluntatis, et inclinationis habet quiddam requiritur ut in effectum reddatur efficax, alioquin si non est sufficiens voluntas ad exequendum in effectum, non est efficax inclinatio, quomodo enim potest effi-

caciter velle executionem, quam videt non posse implere in effectum. Ergo si est efficax in affectum habet sufficienter firmatam voluntatem contra mutabilitatem, et contra tentationes etiam graves, quantum est ex parte ipsius voluntatis: ergo superat ordinarium modum voluntatis mutabilis, et infirmæ: ergo requirit extraordinarium concursum.

XIX. Quare in hoc opinio Molina sustinenda non est, ut late ostensum fuit in congregationibus habitis super materiam de auxiliis coram Clemente VIII, congregatione VII et XI. Nec explicari potest, quod loquitur Molina de dilectione Dei inefficaci, quia ut dicta congregatione VII ostensum est, si aliquis habet propositum implendi omnia mandata, saltem pro eo tempore quo durat illud propositum, efficax est, licet postea cadat, alias si moreretur durante illo proposito non haberet dilectionem efficacem ut ipse pontifex intulit contra Valentiam. Est ergo ille actus efficax, quia est principium electionis, et executionis mediorum, ita ut non requiratur alia intentio efficacior, ut de facto exequatur, loquimur enim de illa quæ ad talem electionem efficaciter inclinatur.

XX. Denique ex eodem principio deducitur, quod illa opera quæ non possunt exerceri sine resistantia gravium tentationum, et firmitate mutabilis voluntatis sunt supra cursum ordinarium naturæ lapsæ, atque adeo indigent speciali gratia, sicut est perpetua castitas, martyrium, perseverantia in bono usque ad mortem, contritio de peccatis, quæ includit amorem Dei super omnia, etiam si fiant ista opera ex motivo naturali honesto, ex hoc enim principio regulanda sunt ad videndum utrum indigeant speciali gratia, videlicet si requirant vires

ad resistendum gravibus tentationibus, aut debeant firmare mutabilitatem voluntatis, quæ secundum cursum ordinarium valde mutabilis est, et sic firmitas ejus per longum tempus indiget speciali gratia.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXI. Ad primum a principio respondetur illud objectum diligendi Deum super omnia non esse proportionatum voluntati lapsæ quasi moraliter, et quantum ad firmitatem, quam requirit in subjecto ut fiat, licet maneat proportionatum quasi physice, et quantum ad ipsam libertatem, quia non cogitur ad oppositum. Et quando dicitur, quod non semper occurrunt tentationes, et impedimenta ad illum actum respondetur, quod occurrunt ex parte objecti, quia in dilectione Dei super omnia involvuntur virtualiter omnes tentationes, et impedimenta contra quæ firmatur affectus, et ideo tentationes occurrunt objective, licet non semper subjective, quando fit ille actus amoris Dei. Et quando instatur de promulgatione legis amandi Deum super omnia, respondetur quod Deus præcipitur amari super omnia, non viribus ipsius legis, sed viribus gratiæ specialis quæ ex misericordia Dei datur omnibus, etiam in statu puræ naturæ, quia ille status solum excludit supernaturalia, non vero specialem gratiam intra limites naturæ, unde dicit Augustinus libro de gratia Christi, capite viii: « Quod ad hoc valet legis agnitio, si desit gratiæ opitulatio, ut fiat mandati prævaricatio, jubet enim magis quam juvat, docet morbum, non sanat, imo potius ab eo quod non sanatur augetur, ut attentius gratiæ medicina quærat. » Ita Augustinus.

XXII. Ad secundum respondetur

circa tentationes graves voluntatem non esse necessitatam ad consentiendum in vi libertatis, sed esse infirmam ex defectu virium, et affectus ad bonum, ad resistendum affectui gravium tentationum, ut explicatum est, et ideo sine gratia non posse resistere. Quod vero dicitur de suspensione omnis actus, jam dictum est non esse possibile moraliter, et connaturaliter, et secundum cursum ordinarium, sed solum quasi metaphysice. Quod vero additur non esse indebitum, ut proponatur objectum contrarium tentationi cum tanta vehementia, sicut tentatio, respondetur esse omnino indebitum, et consequenter pertinere ad specialem gratiam, quia cum tentatio gravis sit illa quæ tentat nos supra id quod possumus, et non sinit apparere convenientiam practicam objecti honesti, ut moveat voluntatem, licet relinquat quod appareat quasi speculative, ut peccato desit excusatio, ideo tentatio gravis quasi inducit formam prædominantem in subjecto, cum autem magis connaturale, et debitum sit dare concursus subjecto juxta formam prædominantem, quam contra illam, ideo proponere objectum honestum contra tentationem ita fortiter ut superet illam, est ultra ordinarium cursum, et juxta principia ipsius subjecti, quæ potius ad oppositum inclinant propter vehementiam, quia si tentatio obscurat rationem quia gravis est, prædominatur utique rationi, atque adeo illustratio talem obscuritatem removens non potest oriri a ratione, sed ab aliquo principio externo fortiori, et fortificante illam.

XXIII. Ad tertium dicitur, quod per legem naturalem Deus non jubet impossibilia absolute, sed possibilis per gratiam, licet impossibilia infirmitati naturæ gratia destitutæ, quod autem per gratiam, et amicos possumus simpliciter possumus, quia

Deus ex parte sua non deest, dicente Apostolo: *Omnia possum in eo qui me confortat*. Unde Deus non jubet ut impleamus totam legem sine gratia, sed per illam, sicut qui jubet, ut videremus aliquid, non jubet ut videamus sine luce, sed mediante luce, gratia autem Dei est: *Lux vera quæ illuminat omnem hominem*, et ideo omnes homines obligantur tali luce gratiæ implere præcepta. Unde dicit Tridentinum sessione vi, capite xi: « Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis (id est, quod cum generali concursu potest fieri) et petere quod non possis, et adjuvat ut possis, » (quod pertinet ad auxilium speciale.) Et quando dicitur, quod cum concursu generali solum posset habere actum conditionatum diligendi Deum, respondetur quod etiam potest cum concursu generali dari dilectio absoluta Dei, sed non super omnia, sed respectu alicujus actus particularis si fiat propter Deum; ad diligendum autem super omnia absolute requiritur specialis gratia.

XXIV. Ad confirmationem respondetur, quod ex Conciliis constat liberum arbitrium esse attenuatum viribus, licet non extinctum, ut dicit Tridentinum sessione vi, cap. i. Unde colligitur non posse viribus propriis facere opera, quæ exigunt vires, et sanitatem perfectam, atque adeo quando postea dicunt nos indigere gratia Dei ad vincendas tentationes, et servanda mandata, licet præcipue loquantur de observatione conducente ad salutem, tamen ex consequenti propter defectum virium deducitur difficiliora opera requirere gratiam specialem. Ad instantiam de pueris in limbo respondetur, quod D. Thomas solum dicit, quod conjungentur Deo per participationem naturalium bonorum, et ita: « De ipso Deo gaudere poterunt naturali cognitione, et dilectione. »

Cæterum ista dilectio non ordinatur ad implendam legem, vel vincendas tentationes, quæ tunc non erunt, nec ad consequendam vitam æternam, unde de illa non loquimur hic, sed erit sicut in puris naturalibus, non sicut in statu naturæ lapsæ, vel quantum ad hoc disponentur a Deo, sicut si essent in natura integra pure naturali.

XXV. Circa secundum punctum supra propositum, scilicet quæ sit gratia specialis requisita ad ista opera perfecte faciendâ, dico secundo: Ad substantiam istorum operum, etiam ut sunt naturalis ordinis, per se indiget homo gratia sanante, ut S. Thomas dicit articulo tertio et ex dictis constat, quia sunt opera hominis sani: ergo indigent gratia sanante. Et dico ad substantiam operis, quia ad modum operis, scilicet quod sit meritorium, vel a charitate imperatum, constat manifeste requiri gratiam supernaturalem, sed de hoc non agimus hic.

XXVI. Cæterum cum gratia sanans possit dici dupliciter, scilicet sanans ab infirmitate dando vires, et sanans a peccato et aversione, dando sanitatem, et prima fit per gratiam actualem, id est, per auxilia actualia quibus intellectus excitatur ad bonum, et subministratur Spiritus boni affectus in voluntate: secunda vero per gratiam habitualement sanctificantem, certum est quod ad ista opera requiritur gratia sanans primo modo, quia requiritur gratia tollens infirmitatem, et dans vires ad operandum, hæc autem est gratia auxilians quæ datur ipsis potentiis ad operandum, quia in potentiis est infirmitas tollenda per gratiam, imo quantumcumque detur gratia sanctificans, et sanans a peccato, si non detur specialis illa auxilians quæ det vires potentiis, et sanet ab infirmitate, non poterunt fieri illa opera difficilia.

XXVII. Dubium vero est in duobus: primum, an ista gratia sanans, et auxilians debeat esse supernaturalis ordinis, et non solum specialis in genere naturæ: secundum est, an ista gratia auxiliativa ad opera ita difficilia de facto inveniatur sine gratia sanctificante, et sanante a peccato, saltem per accidens. Hæc dubia maxime pendent ex dicendis sequenti disputatione, ubi agemus de necessitate supernaturalis auxilii.

XXVIII. Dicimus ergo ad primum, quod per se loquendo, et quantum est ex parte objecti, solum requiritur auxilium speciale ordinis naturalis, supposita tamen elevatione ad statum supernaturalem requiritur ad dilectionem Dei super omnia, et ad implenda omnia mandata auxilium supernaturale: similiter dicimus ad secundum, quod per se, et ex præcisa ratione objecti non requiritur gratia sanctificans ad talia opera, bene tamen per accidens, præsertim ad dilectionem Dei super omnia, et ad impletionem omnium mandatorum. De primo videatur doctor Montesinos hic disputat. xxvii, quæst. vi, et magister Curiel supra articulo tertio, dubio ultimo, conclusione secunda. Ratio primæ partis est, quia impletio legis naturalis, et dilectio illa Dei super omnia sunt opera naturalis ordinis; ergo ex natura talium operum solum exigunt auxilium ejusdem ordinis naturalis. Ratio secundæ partis est, quia dilectio Dei supernaturalis opponitur aversioni a Deo fine naturali; sed in hoc statu aversio a Deo fine naturali, etiam est aversio a Deo fine supernaturali, cum sit destructiva gratiæ, cum tamen in statu puræ naturæ non redderet hominem privatum gratiæ, quia tunc solum erat negatio gratiæ, eo quod non erat homo ordinatus ad illam: et ulterius non potest aversio a Deo tolli quantum

ad finem naturalem, et relinqui quantum ad finem supernaturalem, quia est indivisibilis privatio; ergo oportet quod dilectio Dei auctoris naturalis ut tollat aversionem sibi oppositam, debeat etiam tollere illam ut est aversio a Deo fine naturali, et consequenter comitare debet illam auxilium supernaturale. Similiter omnium mandatorum impletio habet ex lege Dei connexionem cum vita æterna, juxta illud: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata: et ad Galat. III: Qui fecerit ea quæ legis sunt, vivet in illis.* Ergo non possunt impleri omnia mandata legis sine auxilio supernaturali propter istam connexionem cum vita æterna, unde in homine justo in quo aversio ista sublata est, non repugnat elici amorem Dei naturalem sine aliquo supernaturali conjuncto. De isto puncto videri potest Montesinos hic disp. xxvii, quæst. vi, et Curiel in hac quæstione, art. III, dubio ultimo, conclusione secunda.

XXIX. De secundo videatur pater Suarez lib. I de gratia, cap. xxvii, et Lorea hic disp. vii, ubi late probat ex auctoritatibus patrum, et congruentiis non dari infidelibus, et peccatoribus illam gratiam specialem ad servandam totam legem, et ad opera illa difficillima: quæ solum probant stante illo statu permanentiæ in peccato non dari eis connaturaliter talem gratiam specialem, quia ratione status sunt illa indigni, et ponunt obicem, et impedimenta ad illam: non est secundum cursum ordinarium dari ista beneficia ponenti obicem, ut enim connaturali modo dentur requiritur gratia sanctificans in subjecto, præsertim ad amorem Dei super omnia, quia vel supponit subjectum esse justum, vel facit ut non detur iste amor pro isto statu in peccatore, nisi simul cum amore Dei supernaturali (ut

diximus) et idem est de observatione totius legis, quæ hunc amorem Dei efficaciter includit.

ARTICULUS V.

Utrum ad totam legem implendam, et omnes tentationes superandas, requiratur specialis gratia?

I. Lex impleri potest, vel quantum ad substantiam, id est, quantum ad id quod ex parte objecti respicitur a lege, ut lex præcipiens jejunium per hoc solum quod abstinenceatur impletur: vel potest impleri quoad modum, et est multiplex modus, ut D. Thomas docet 1-2, quæst. c, art. ix et x, verbi gratia, quod fiat modo virtuoso, scilicet bona intentione, et electione; vel modo meritorio, quod est ex charitate; vel firmiter, et stabiliter, quod est ex habitu. In præsentem autem nomine impletionis totius legis intelligimus tam substantiam operis, quam modum qui cadit sub lege naturali, et requiritur ut sine peccato fiat, et ita excludimus modum meritorium, qui pertinet ad charitatem supernaturalem.

II. Resolutio hujus dubii est manifesta ex præcedenti articulo, respondemus enim affirmative, scilicet requiri gratiam specialem, tam in statu peccati, quam puræ naturæ, ut tota lex naturalis impleatur. Ratio hujus sumitur ex illo duplici principio sæpe insinuato, scilicet ex naturali mutabilitate voluntatis, et debilitate rationis proponentis, et rebellionem appetitus ad spiritualia, unde insurgunt graves tentationes contra rationem, quæ omnia vincere præsertim perseverando (nam etiam perseverantia cadit sub lege) est supra naturale debitum, et cursum ordinarium nostræ naturæ; ergo petit specialem gratiam, quæ sanet istam

infirmiorem, et consequenter quæ sit gratia interna, et non solum externa protectio Dei tollentis impedimenta extrinseca, quia infirmitas ipsa interna est, et vires quæ deficient intrinsecæ sunt, licet distinctæ ab entitate potentiæ, ut supra dictum est. Videri potest D. Thomas hic ad ea.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

III. Solum duo argumenta sunt, quæ solent esse molestia contra hanc conclusionem. Primum est, quia non videtur salvari quod Deus non præcipiat impossibilia absolute loquendo, quæ est propositio damnata in Conciliis, præsertim Tridentino sessione vi, cap. xi; sequela autem constat, quia Deus præcipit totam legem, cum in nullo ejus præcepto dispenset: ergo si non possumus sine speciali gratia totam legem implere, præcipit aliquid impossibile ipsi naturæ, saltem quantum ad totum onus legis, licet singula præcepta possit implere. Et quod per specialem gratiam possit non obstat, alioquin posset Deus præcipere claudo ut ambularet, et ægroto ut laboraret, quia possunt ista fieri per specialem gratiam Dei.

IV. Secundum argumentum est, quia possumus vitare quodlibet peccatum, alioquin si non possemus vitare, non esset peccatum: ergo possumus vitare omnia saltem successive, unum post aliud; ergo et implere totam legem: qui enim omnia peccata vitat, in nullo transgreditur legem; ergo implet totam. Consequentia patet, quia quocumque peccato evitato non diminuitur potestas vitandi aliud succedens, alioquin jam non posset peccare, si non posset vitare, et dato quod diminueretur potestas, non sequitur quod non posset absolute, sed quod non